



AD SERENISSIMUM ET
POTENTISSIMUM PRIN-
CIPEM, AC DOMINUM,

DN. IOACHIMVM
FRIDERICVM, MAR-
CHIONEM BRANDEBVR-

GENSEM, SACRI ROM.
Imp. VII. virum, &c.

Friderici Corfinij

I. V. D.

ORATIO.

*Excudebat Fridericus Hartmannus Bibliopola
in Academia Francofurtana, ad Viadrum.*

c l o . l o . l c .

AD FREDERICUM PRIMUM
IMPERATOREM ROMANORUM

AD FREDERICUM PRIMUM
IMPERATOREM ROMANORUM
CIVEM AC DOMINUM

DN. IOACHIMVM

FREDERICVM MAR
CHIONEM BRANDENBUR

ARCHIEPISCOPVM SACRI ROM
IMP. ECCLESIAE

FredERICVS
CORSINI

A. N. D.

ORATIO

Erhardus...
in Academia...

1515

FRIDERICI CORFINII

Oratio.



Il qui sunt, qui antea rationes meas introspererunt, & iam nunc nouæ huius operæ meæ specimen intuentur, credo equidem prima fronte mirabuntur, me id audere experiri, quod non sine aliquo negotio præstant disertis & eloquentes viri. Ut enim libere de me sententiam ipse dicam, ingenij mei non ea vis est, nec ea mihi adest doctrina, vt vel mediocriter eruditis me annumerare possim; tantum abest, vt in animum inducam, eos me posse æquare, qui in rhetorum scholis exercitijs, summa sua cum dignitate deportarunt lauream. Itaque meæ mihi tenuitatis conscius, si nihilominus animo morem geram, & id vrgeam, cui exequendo minus par sim; non iniuria verear, ne ob id multorum varijs vapulem iudicijs. Nam si vulgò ita fit, vt minus leui brachio etiam ea nonnunquam perstringamus, quæ nihil minus merentur, propterea quod & proba sint & præclara; quid non expectandum ei, qui in arduam hanc

causam quasi hospes primum introitum facit,
nec vnquam in tam magni apparatus amplum
campum prodijt, dicendiuē periculum tale
fecit? Aequalibus nostris, alijsue ordinis
nostri hominibus gratulari, minus forte sit dif-
ficile; illud enim cum amici animi argumen-
tum sit, aliter non potest, quin ab omnibus ita
accipiatur, vt ab optimi cuiusque animo profie-
ciscitur; & qui eam rem siue humanitatem,
siue beneuolentiam interpretentur, meo quie-
dem, siue potius omnium sanorum iudicio mi-
nime errarint: ad reges autē (quod nomen im-
perij in terris primum fuit) gratulationem in-
stituere, illud vero negotium est magnum;
siquidem adulationem sapere videatur,
quod animi est vitium seruilis & turpis; &
ab omnibus odio habitum, qui bonarum liter-
rarum vim intelligunt, & naturæ suæ largam
benignitatem. Ego quod animi recti mi-
hi conscius sim, & nihil eorum quæ homine in-
genuo digna sunt, à me alienum existimem,
quidquam secus in me dictum iri non suspi-
cabor; huius tamen si quid forte eueniat, non me
ea res ita mordeat, vt malim nihil abs me fuisse
susceptum; nam cum omnes in vniuersum ho-
die

die liberi nascamur, pro suo quisque modo libertatem cum vita continuamus: & religiose in ciuem suum eiusmodi voluntatis imperium præripere, quo eius siue corporis, siue animi inhibeatur libertas: esset enim hoc antiquatum ius & barbariem reuocare: verum qua ratione quisque nostrum natus est, eadem ut perpetuo sit, id cum humanum est, tum legibus nostris consentaneum: idque si ita est, homini aduersus hominem liberiori censura uti liceat: immo si possim, nemini eam ego vnquam in me præciderim: maxime cum sciam, neminem omnium esse, qui actiones suas ita præstare queat, ut omnis omnino reprehensionis sint expertes. *III.* Sed esto, instituta excusatione nihil opus fuisse: at importunitatis, adeoque arrogantia ne ab omnibus accuser, hoc vero non tam vereor, quam res docet, hoc ipsum quod ago, parum me tempestiue agere, & nimis forte confidenter: nam si multum interest, quod agis, in tempore agas, an eius occasione amissa; & quibus cum agis, quorumque ratione noueris, eosdem ex virtute & dignitate sua ita nosse, et ab ijs nouisse abstinere, ut per paucum numero quam plurimos & innumerabiles lon-

gifsimo interuallo post se relinquunt; ego qua
fronte, quo vultu, quo supercilio tegam, ad he-
roem illustrissimum, eundemq; potentissimum
principem, Marchionem Brandenburgensem,
sacri Romani imperij VII. virum me id aude-
re, quod deliberationem haberet vel in lautiore
homine priuato? Quid igitur, quid impedit, quo-
minus ipse ad me prouocem, & pronunciem
insulse me facere, qui aggrediar rem tantam?
Sic qui sentiat, si quis est, nã ego cum illo haud
fenserim; qui didicerim, in iactura temporis re-
prehensionem tum demum locum esse, si qua no-
stra argui possit negligentia; tum sic existimo,
omnino illum temere agere, qui ipse sibi in se
inquirenti, alijque, actionum suarum causam
vel rationem reddere nequeat. Vtrumque ego
aliter præstare possum; nam vt de eo nihil dicã,
me paucis abhinc mensib9 longiorum peregri-
nationum laboribus, Dei Opt. Max. beneficio,
fuisse defunctum, absentique mihi nihil non
negotij datum esse in me tuẽdo, & ob id volun-
tati me meæ, aliorumue expectationi satisfacere
non potuisse; otio prolixiori restitutus,
omni ope nitendum mihi esse putavi, ne abs me
requireretur officium; maxime cum intellige-
rem innumerabilibus me beneficijs fuisse affe-

Etum. Catalogo itaque istorum omnium in-
stituto, singillatim mihi in memoriam reuoca-
ti, quæ in vita mea à bonis in me fuissent pro-
fecta; & auctoritate I.C. ti Gaij persuasus, cuius
que rei potissimā partem principium esse, stat-
tim inueni, & pro pietate mea agnoui, nihil non
Marchiæ abs me acceptum referri debere.
Vberioris enim doctrinæ adipiscendæ gratia
Megapolim, et academiā patriam cum reliquis-
sem, & de consilio amicorum mouissem Frano-
cosurtum: (quod oppidū, ut hoc *ἰδὸν πάρεστιν* ad-
dam, non tam mercium fluxarum emporiū est,
quā animi æternarum, omniumque virtutum
perpetuo præclarè sibi constans *μενέειν*) hospes
eò vix veni, quando statim omnium docentiū
studia, ætati meæ quæ seruire possent, abunde
tui expertis. Vtut eram adolescens, intelligebam
non sophistarum, sed probo philosophorum
more, cū publico bono omnis generis discipulis
nas iuuentuti non solū non inuideri; aliter vul-
gò quod fit, opera epitomarum & quæstus; sed
videbam ex ipsis fontibus eas omnibus plenis-
sima manu effundi; quæ res efficiebat, vndiq; ex
Germaniæ prouincijs, alijsque regionibus, vt
maximi discentiū concursus fierent, & doctorū
ferueret industria. Nā si vspiā, hic videre erat cō-

Iehoua, cum Themide, cum Æsculapio,
cum omnibus denique Musis rationem haberi,
& eorum omnia templa omnibus stare
aperta: in me quæ beneficia profecta sunt,
omnia ea ego grato animo conseruo; nam
quid dixerim, gratiam me vnquam posse re-
ferre? nec desino predicare, quoties eius
habeo facultatem. Ad magnum illum ma-
ximorum in me beneficiorum cumulum ea-
dem in vrbe accessit senatus academici hone-
stissimum de me decretum, me in Gallijs ab-
sente factum: quod quanquam ob interual-
lum locorum effectum habere non potuit, ta-
men demonstrata optima voluntas, vsque dum
ero, mihi pro re erit: ex re enina non tam be-
neficia metimur, qui sapimus, quam ex consi-
lio & beneuolentia: quæ si exitum non habe-
ant, nec respondeant cogitationibus nostris,
non ideo auctoribus minor debeat gratia,
quàm si omnia felicem & prolixum sortita
fuissem euentum: testatum enim fecerunt quam
nobis voluerint: sequi nihil debuerit, an non po-
tuerit, quid id eis præstandum, qui tantum fece-
runt, quantum potuerunt, nec pro ratione ho-
minum potentiam Dei præstare possint? Vt verè
dicam

dicam à grauiſſimis viris datum teſtimonium
tam mihi gratum accidit, quàm quod gratiſſi-
mum; in quo ſi quid amori eſt indultum, non
tamen repudiandum censeam, præſertim cum
non verear, ne ſuſtinere non poſſim ea, quæ, li-
cet necdum adſint mihi, mediocris indiſtriæ
beneficio aliquando adeſſe poſſint. Sed
quorſum mea tendit oratio? Vt intelligi
poſſit, alienum me eſſe à crimine *ἀχαρίστια*, atque
adeo hoc, intelligere me, à quo tanquam pris-
mo fonte ea, quæ in me congeſta eſſent, profi-
ciſcerentur. Nam omnia, quæ bona exi-
ſtimamus, licet auctorem habeant Deum, eiſq;
pareant & ſubſint, quantumuis magna & ſu-
blimia; tamen alterum quoque verum eſt, di-
ſpenſatione hominum, ab ipſo in ſtatione iſta
poſitorum, in maximorum bonorum poſſeſ-
ſionem ac fruitionem rēctam nos manu quaſi
duci. Et idem ille Deus quamquam eſt tam
terræ quàm coeli, marisq; perpetuus domi-
nus, omnium tamen eorum, quæ terrarum orbis
continet, uſuram, pro incredibili ſua bonitate,
mortalibus concedere voluit, vt uſque dum
uiuerent, in omnibus iucundè acquieſcerent,
iſq; ex ratione gauderent & fruereſcerent.

B

Omnia

Omnia autem^m vt secundum harmoniam sibi
constarent, et vt esset quedam politice (nam vbi
omnes sine discrimine imperant, ibi imperium
vt sibi constet, fieri omnino non potest) terrarū
monarchas constitutos voluit, siue vt Homerus
loquitur, *ποιρδύας λαών*: ab ijs qui beneficia in se de-
riuant, nec ea ita vti par est, agnoscunt, nā illi
non sine scelere & incommodo suo humanitati
parum constant: Ingratos enim volupe nobis
est plena manu beneficia ponere, ingrato autem
homini nihil est quod non neget malæ suæ
mentis malus animus: Et eò, vnde orta sunt, o-
mnia cum redeant, quis non intelligit, quod
boni nobis à priuatis datur, id omne acceptum
referendum esse principi? Puto me causam
iustam attulisse, ob quam hasce partes susce-
perim. Sequitur vt ad te orationem con-
uertam, quod pace cels, tuæ mihi liceat, Mar-
chæ princeps, serenissime Elector, IOACHIM
ME FRIDERICE. Quin quam o-
ptimi & grātissimi animi notam affero, e-
am non reiectum iri, illa tua mihi persua-
det humanitas, qua non solum es in tui si-
miles, aut in mediocri dignitate constitutos
viros, sed & in quoscunque infimos, & mei or-
dinis

diis homines. Bona itaque cum spe gratulationi initium dans, intermittere non possum, quin principio ea attingam, quæ beatitudinis humanæ non postremas obtinent partes. Privati enim nobis inter nos gratulamur de familiarium, amicorum, omniumque bonorum, qui vel nulla nobis necessitudine coniuncti sunt, prospero statu, propterea quod eo & ipsis, & nobis, & reip. profectum iri rectè putamus. In regibus quis dubitet, quin id longe fiat rectius, & prolixiori cum lætitia, quo amplior & illustrior eorum est ratio, & publico bono conducibilior? Ipsa certè Celsitudo tua quoties optimo & heroico ingenio ex se natos liberos videt, eos quoties intuetur, quoties amplectitur, quoties de ijs cogitat, quoties de ijs sermonem institui audit, mirum sit, ni iucunde in ijs acquiescat, & purum solidumque gaudeat gaudium: videt enim in illis quasi se alterum, ad quem aliquando libente se gubernationis clavus sit trāsiturus. Magno illi gaudio patris addit vel hic minimus pæne natus filius, CHRISTIANVS VVILHELMVS, postulatus Archiepiscopus Magdeburgensis: in quo etiā præter huius dignitatis splendore aliud nihil esset, quod videretur illustre;

stre; at sunt in optimo illo reip. germine regiae
indolis illustria quam plurima; tamen non
posses non abunde tibi gratulari, ita eam abs te
^{ἐπιτοκοῦν} fuisse administratam, ut eius rei quoti-
die verissimum videas testem. Vides vero
etiam quo non minus suaviter acquiescas,
reuerendissimū et illustrissimum filium tuum,
IOANNEM GEORGIVM, & eundem pari
dignitate ab Argentoratensibus ornatum. De
alijs rerum tuarū secundarum ornamentis quid
dicam? quid de filia Anna Catharina? vides ea
heroina inuentum tibi generum, potentissimū
principem, CHRISTIANVM IV. regem
Daniae, virtutum paternarum, ut vno verbo
omnia comprehendam, germanum amulum,
serenissimum socerum in oculis ferentem, &
amantem loco patris, memoriae sanctae. Quid
non gaudij, quid non boni vides esse in felici
hoc matrimonio, quod Illustrissimus princeps
IOANNES SIGISMVNDVS, natus maximus
filius tuus, cum illustrissimi ducis Borussiae, AL-
BERTI FRIDERICI filia Anna contraxit.
Illud matrimonium, praeterquam quod adfert
imperio tuo lautum incrementum, etiam eo
te honore beat, quod nuncuperis auus, & ma-
gno

gno DEI beneficio videas descendere ex te:
nepotes, quos eosdem pro optimæ ætatis vigo-
re etiam breui visurus es florentes. Præter
mitto illustris prolis tuæ reliquam commemo-
rationem; non quod argumentum desit; id
enim esset ipsa ætate in vberrimo campo de-
siderare flosculos; sed quod singillatim de ijs
dicere, nimis longum foret. Immo ab instituto
si digredi non nihil vellem, affatim haberem,
quæ commemorarem de illustrissimæ sororis
tux tribus nepotibus, Electoris Saxonix, diuæ
memoriæ, filijs; in omnibus omnium regiarum
virtutum disciplinis, virorum grauissimorum
beneficio, præclare prouectis. Sed neque
illud persequi mei instituti est, nec prout infor-
mata iam nunc publica est ratio, longiori ora-
tioni sit locus. De eo saltem dicam, unde
potissimum laudetur bonus princeps, siue pa-
ter patriæ, id quod propius te tangit, & ab ipso
us tua virtute proficiscitur, & de quo tam belli
quàm pacis tempore rectissime meditemur.
Ea autem quæ allaturus sum, si magnifico genere
dicendi illustrare minus potero, enitar tamen
minus barbaro pleraque vt perstringam; nec
quidquam afferam, quod in te non sit, &
quo

& quo non commenderis quàm rectissimo
omnium iudicio. Potius fecerim, vt in eo offensa
dam, ne virtuti tuæ minus dem, atque ea me
retur: in quam causam si me orationis inopia
constituet, etiam atque etiam velim, te tui loci
atque ordinis excelsi animi principem, Persarum
regē imitari, cuius maiestati iunctis manibus
hauista, & pro munere venditata aqua, mi
nime respondit, attamen fuit auro contra cara.
Non ego mihi tantum postulo: solummodo
peto mihi ignoscj, si in te ornando non assecus
tus fuero quod velim, nec dixerò omnia. Quæ
extra te sunt, & quæ de splendore generis tui
dici, quæ de amplissimis rebus gestis illustrium
tuorum maiorum, quæ de longissimarum ter
rarum tuarum terminis, quæ de augusti impe
rij tui pluribus & amplis prouincijs, quæ de in
numeris ciuitatibus, quæ de agrorum fertilitate,
quæ de vinearum, aliarumque rerum neces
sariarum innumerabilium abundantia pluribus
verbis illustrari possent, & in omnis generis lau
dationibus rectè enumerantur; omnia ea præ
termittam, propterea quod longe præstantio
ra his sint alia; quanquam etiam illa quæ re

non sunt in hoc mundo, quæ sunt in celo

cen
ijs, du
bus o
sunt, &
stantia
recen
um ho
te mag
mision
mnibus
sit exe
re, qua
aliter
ctum
pulus:
vero in
de qu
& ma
cum l
quen
bus l
lt. m
nat.
uæ la

censui, omnino bona sunt, & recte ita dicuntur,
ijs, dum adsunt, si bene utimur: at de quibus
orationem habiturus sum, ea animi
sunt, & diuina, & longe super alia posita, præ-
stantiaq; sua nulli mutationi obnoxia. In earum
recensione ut à cultu DEI ordiar, quis te omnium
hominum sanctior? quis te religiosior? quis
te magis supplex? quis te humilior? quis sub-
missior? quis frequentior? Hinc est in om-
nibus tuis terris nihil magis ab omnibus ut
sit exercitum, quam officium diuinum face-
re, quam orare, & sedulo vacare operibus sacris;
aliter abs te si fieri intelligeretur, dictum fa-
ctum exemplum tuum omnis sequeretur po-
pulus: tanta uis est eorum qui imperant. Ut
vero in toto terrarum orbe pauca regiones sunt
de quibus id prædicari queat! hoc tua laus
& maior est, & illustrior, & status tuus firmior:
cum bonis enim certum est habitare DEVM,
quem eundem ex re compertum est à cultori-
bus suis nequaquam ita abesse, ut eis deesse ve-
lit, modo non ipsi sibi velint deesse, ratione do-
nati, & adepti diuinæ particulæ auræ, illud vitæ
tuæ santissimum iter à teneris, a deo unguiculis,
cum

cum ingressus esses, haud neglectis reliquis officij partibus omnibus, adultiori tibi facile ea res tantam peperit claritatem, vt vnus omnium in vniuersa Christiana ciuitate lumen principum esses longè augustissimum. Ea que tua laus cum ita passim diuulgata esset, an putas aliter fieri potuisse, quin & illustri te loco collocaret, & primatem Germaniæ cum bono publico constitueret? an putas aliam esse causam ob quam amplissimum collegium episcopes Magdeburgicæ vno ore in te potissimum consenserit? In eo collegio tum non defuerunt, nec hodie defunt, grauissimi & sapientissimi viri, quibus in procliu fuit consilium capere, ne indignis suffragia darent. Ea tempestate non defuerunt etiã, qui magnoprensarent opere, plurimi: pro te pugnavit sola virtus tua, cuius telum ex re doctus es, esse longe acerrimum. Primus hic fructus fuit, qui probitati tuæ datus est, largo cum testimonio perpetuæ sedulitatis tuæ: & magnus quidem is fuit: sed non minor, aut potius longè maximus fuit ille, qui ad eos statim redundauit, à quibus fuerat profectus. Ex ratione hic tibi cognati, amici, familiares, tempestiuam felicitatem fuisse gratulati: felicitas

citatis autem huius tuæ qui auctores fuissent, si-
bi potius deberi, quidquid tibi gratulationis
datum esset, omnes existimarunt; non quod tibi
inviderent, quod accepisses bonum; sed quod
preclare perspicerent, habitam electionem lon-
gè maximo suo coniunctam fore cum commo-
do; in quo animi minimè fuerunt falsi. Cum ad-
miratione enim viderunt capessere te temp-
instinctu non humano, sed ductu diuino, non
temere, sed ex ratione. Idem illi sapi-
entissimi viri ex initijs gubernationis non
solum iudicarunt, quam rationem in ge-
rendo magistratu perpetuò esses secuturus, sed
& Deo Opt. Max. omnia retulerunt accepta,
quæ in potito reip. suæ rectore cernerent:
isdè illi eidem optimo Deo toties egerunt gra-
tias, quoties viderunt in rebus amplissimis sus-
cipiendis te semper tui esse similitimum, aut
etiam ijs continuandis naturam vincere: neq;
id etiamnum reuerendi & nobilissimi viri pro
diuina pietate sua intermittunt, sed in dies singu-
los præclaro continuant modo. Quod vulgò
largitionib; id tu meliori ratione, et more ma-
iorum adeptus es; & præmaturè quidem; ut
ingenij tui cursus virtute sua dignum haberet
C cam

campum. Benignitate, enim sua cum natura
erga te apprimè fuisset prolixa, eandemq; opti-
marum artium studijs sedulo cum excoluisses,
incredibile est, quàm facile omnia ea, quæ ho-
minem perficiunt, tecum creuerint, accedente
rerum gerendarũ usu & exercitatione. Quibus
omnibus simul iunctis, an mirum sit talem &
tantum te euasisse, quẽ hodie imperium tuum
demonstrat, ad quod libentib9 omnibus Mar-
chiacis à diuino numine es prouectus? quod
imperium quo augustius est priore, (est enim
magno maius aliquid) hoc maiore, qua uales,
magnitudine animi contendis omnes actiones
tuas ita illustrare, ut res rei consentiat, & factũ
facto præstet. Perexiguo enim illo tempore, quo
clauum patriæ reip. tenes, quid non correctum,
quid non sublatum, quid non restitutum? sex-
centa profecto fuerunt, medicinæ quæ egerunt;
omnia illa tuo, secundùm Deum, beneficio, pro
prudencia tua sanata sunt, non exsecata; & de
ijs omnibus res ipsa satis superq; loquitur, nec
vllius vllum requirit præconiũ aut buccinatorẽ.
Illud quod omniũ rerum est primũ, & sine quo
actiones nostras frustra præstare nitimur, pio
zelo ab ineunte ætate tibi cordi fuit; nec vero
etiam nunc abs te negligitur; uti neq; sacratissia

ma Iustitia proxime Iouē sedens, eiusq; soliu ful-
ciens, incorrupta virgo, quemadmodum sapien-
ter à poëtis depingitur; omnibus facilis Dea, vti
Numæ Pompilio fuit nymp̄ha sua Ægeria. Sic. n.
arbitraris, cum illa quib⁹ familiaris vltus esse cœ-
perit, eosdem, si velint eum esse perpetuū, exem-
plo tuo ad perpetuā virtutem constanti et prom-
pta volūate necesse habere sese componere, nec
imitari Æolos, quos Lacedæmoniorum rex Agis
cum aliquando vidisset ludis Olympicis æqua o-
mnibus libella iustitiā administrari, non tam eā
rem miratus fuit, quā risit, elapsis quinq; annis
ipsis, tandem eos esse in officio integrum diem,
reliquo tempore non item. Abdicare bonam
eam Deā, si qui sint, qui malint, vti non desunt,
etiam hoc tenes, posse eos facilimo id assequi
negotio. Ita autē qui faciant, non illos iam am-
plius aut reges, aut principes, esse inteligis: po-
tissimum enim regis splendoris amiserunt, quo
assimulabantur Deo, qui hæc peculiaria habet,
quod sit æquē bonus & iustus, vt æternus & po-
tens. Nam ad potentiam quod attinet,
qua mortales vtimur, & nos iactamus, non
tam ea nostrum bonum est, quā fortuna-
ræ, quam constat nihil firmi, nihil æquabile

habet, nihil quod perpetuo sibi constet, nihil
quod non valde suspectum sit, et maxime tum,
vbi ad fastigium excellentiæ suæ peruenit.
Quis negarit tot heroas, tot reges, tot principes
fuisse fractos, tot imperia aliò fuisse translata,
nulla de causa alia; quam quod, cum ventis
quàm maximè secundis vterentur, ijs solis nisi,
cuiusmodi quæque essent, non examinarint, nec
passi sint, ipsi cum non didicissent, Sicut illud
ἡφαιστος ἔμμενος ἀπὸ τῆς θύρας, sibi insurrari: ijdem si vigilas-
sent, si iustitiam exercuissent, si cum poëta Lyo-
rico dixissent,

Laudo manentem: si celeres quatit,

Pennas, resigno quæ dedit: Et mea

Virtute me inuoluo: non facile in tragica ab-
ijissent præcipitia. Quotus autem quisque fuit,
vni potentiæ qui non tribuerit omnia, & qui
posthabito illo Iusti Aristidis diuino cognomi-
ne, non maluerit se appellari, Poliorceten,
Ceraunum, Nicanorem, Ætum, Hieracen, alio-
ue huius generis barbaro nomine? Natura
loci, arteue munita magna propugnacula, non
illa profecto regum secura sunt præsidia: regio-
bus innocentia sua pro muro est, subditorum
amor pro centum millibus castris. His præsi-
dijs

dis si tyrannus Aristippus se muniuisset, minime opus habuisset ad se tuendum tanta militum copia; non habuisset necesse tot homines trucidare, à quibus sibi metueret; non fuisset coactus in præcellsum & editum arcis locum dormitum se compingere; etiam scala nihil opus fuisset, qua pulchello principi mater concubinae, & sub noctem, & sub auroram miserè seruibat. Clearchus item, si beneuolentia maluisset cum subditis certare, quàm potentiâ, nunquam profecto vltus fuisset cista, in quam dormituriens se includeret. Nunquam maluisset Dionysius, nouaculæ metu, capillum adurere, quam præscindere cæsariæ, si sapuisset, si humanitati suæ constitisset: idem nunquam ita alienus fuisset à populo, ab amicis, à germano fratre, atque adeo ab ipso suo, quem procreauerat, filio, quo minus eis fideret; etenim neque hunc, neque quemquam ad se admisit, ni prius à ianitoribus totus fuisset exutus, & alia indutus veste. Actum fuisset cum Antigono, si in simili causa fuisset; ad eum enim Demetrius filius salutatû ventitare solebat, etiamnum manu omnia pila tenens, quæ venationi suæ seruissent: quod cum forte fortuna etiam fieret, cum

C 3 adessent.

adessent legati, quibus iam responsum erat; abes-
sentes eos alta voce rex pater reuocauit, dicens:
Etiam hoc, quaeso, principem vestrum docete, in-
ter me & filium ita conuenire, ipsi vestris uti vi-
detis oculis. Praeclare equidem ille, omni metu
vacuus animique; in omnes partes securus; nam
eos qui metuit, quos amare par erat; ille quid ex-
spectet aliud, quam ut hoc magis meminerit
ipse, quo maiori est potentia? Numa Pompilius
hic recte sensit: minime enim herili, sed patris a-
nimo rempublicam cepit: dixit enim omnino se
illis futurum, sibi qui fidem haberent; immo addi-
dit, nolle se esse regem illorum, qui fidei suae es-
sent diffisi; abdicans istos trecentos stipatores
Celeres, sub quorum acri tutela antecessori suo
non licuisset esse saluo: nam Plantij illud, *nemi-*
minem populum diutius ea conditione esse posse, cu-
ius eum poeniteat, omnino non fallit. Non nego
multum in potentia esse, & magnum eam regio-
bus ornamentum adferre; ipsi enim Deo tribu-
itur, quod sit vnus omnium potentissimus; &
seruijt illa iam inde a condito mundo bonis
multis; maximeque necessario nostro tem-
pore & potentia & munitionibus & propu-
gnaculis nobis opus est aduersus Romani
imperij

imperij hostes, apud quos, quod Barbari &
nefarij sint, ius, & fas, & ratio, parum valent.
Ab istis nobis nihil cum metuimus, tum omnia in potentia ponere, & nobismetipsis inter nos domi metum incutere, & mutuis iniurijs libertatem & concordiam eripere, hoc scilicet inhumanum est & subturpiculum. Ut aculeus serpentem, ita hæc opera tyrannum indicat. Tu serenissime Elector à potentia tua ius & fas non segregas, sed ex ratione iustitiam administras, & ipse legibus pares, quantumvis Il. solutus sis; longè Alexandro hoc Magno sapientior, qui ab Anaxarcho passus fuit sibi persuaderi, omne illud quod reges facerent, & iustum esse, & æquum & bonum. Legibus autem in imperio tuo quamquam in scripto vteris, eas tamen non tam illos tenere rectè arbitraris, illarum qui nudos versiculos & verba vulgari more deorarunt, quàm qui intelligunt earum vim, quæ hisce præceptis continetur, Honeste vivere, Alterum non lædere, Suum cuique tribuere. Huc potissimum respiciunt conscripti patres, quos in curia constitutos habes; nam nudæ ^{уездный} vt apud iudicem perpetuo locus sit, non potest,

potest, nisi posthabita æquitate, summum ius
persequi maluerimus, summam quod coniun-
ctam habet iniuriam, qua scimus non contine-
ri populi salutem, quæ suprema lex est. Et rem
si penitius consideremus, quanto, vt seneca ait,
*latius patet officiorum, quàm iuris regula! quàm
multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides,
exigunt, quæ extra publicas sunt tabulas!* Hoc fu-
erit, ob quod noluerit Lycurgus vllam suarum
legum comprehendere scripto: existimauerit eo-
nim ad beatam ciuium suorum vitam præcipuè
requiri, quidquid bonæ disciplinæ Lacedæ-
mone exerceretur, vt à teneris vnguiculis qua-
si cum lacte imbiberetur, & in succum, & san-
guinem, & mores ita conuerteretur, vt benè &
profunde tinctæ lanæ instar, neque tolli neque
elui posset. Recte bonus ille magister eius
rei sumam, recte factorum conscientiam &
optimam voluntatem, esse censuit; siue quod
idem est, libertatem, ad quam Laconas assue-
fecit: libertatis enim est, viuere vt velis, & vel-
le, quæ recta sint, & officij. Eiusdem cum
Lycurgo sententiæ fuisse Anacharsin, ex eo uide-
re est quod riserit, cum coràm intellexisset So-
lonem Atheniensibus sancire scriptas leges:
quasi

quasi hæ tantum valerent, vt inhibere possent
auaritiam & iniustitiam hominum. Dicebat
enim huiusmodi leges telis aranearum plane
esse similes, & facile compescere infimi generis
miseros homines, potentiores ditioresque ne-
quaquam: fuitque non longè post ex re com-
pertum, Anacharsin non sensisse stultè. Etiam
haud dissimili ratione fecisse videntur Pythago-
rei: etenim hi scientiarum & inuentionum
suarum nihil comprehendere voluerunt scripto,
sed omnia statim eorum animis impresserunt,
quos putarent bonarum scientiarum cogniti-
one esse dignos: quorum ex familiaribus vnus
cum geometricum aliquid cum homine ne-
quam communicasset, dixerunt, ex præ sagijs
Deorum videri, scelus non relictum iri inultum.
An itaque culparim nostram scripti iuris ras-
tionem? Censeo, quod Græciæ alicui parti, idem
non statim toti Germaniæ, alijsue orbis terra-
rum regionibus conducat: nec quod geometriæ
placeat, non statim æquè arrideat politico:
sed prout cuiusque loci fert natura, consuetu-
do, commodum, & ratio, ita omnium actionum
nostrarum instituendis sit modus. Nos quantum
sacratissimo principi Iustiniano ob egregiam et

D

præ

præclarâ iuris nostri operam debeamus, omnes,
qui eo bono fruimur, pie intelligimus; nec in
alijs disciplinis non possumus quàm maximè
prædicare eos, qui diuina animi sui bona nobis
cum communicarunt, nec ea posteris inuis-
derunt. Vtraque vt abunde habemus, ea si ita
simul iungeremus, multò æquabilius se multa
haberent, neque vsque a deo domi & foris labo-
raremus. Sed quid queramur? Suo quæq; gens
fungitur fato: quæ ferrea & robusta Dea vulgi
accusationes facile sustinet, etiam grauiori onero
ri ferundo. Beata etiam hac parte est Marchia,
quæ exemplo principis sui omnia illa vrget; nec
minus beata in eo, quod imperatorem nacta
sit sobrium, modestum, temperantem, volupta-
tibus non indulgentem, sed omnis generis luxui
inimicum. Quod abs me oratione in te ostens-
ditur, id tu Ser.^{me} princeps demonstras reapse.
In vestitu enim simplex es, in structura domũ
æquabilis, in apparatu equestri moderatus, in
victus ratione solers, à delicijs alienus, in agi-
tandis conuijs probus; & horum profecto plane
nullũ agitas, nisi si ex interuallo tui ordinis illus-
trium hospitem aliquis ad te veniat; quod vbi
fit, tum vero magnificentia non dees; & quot
quot

quot ad te diuenterunt reges, septemuiri, duces,
legati, omnes hi largum experti sunt & magnis-
ficum. Scilicet eadē operâ tibi priuatim seruis et
publice: cum enim valetudinem, operam das,
vt tuearis, tum caues, ne exactionibus exhauri-
as populum. Non enim in parietibus resp. est,
vt Pompeius recte dicebat: non in luxu consistit
principis maiestatis; non in magno comessa-
tionum, deliciarum, vestitus, & equorum ap-
paratu amplitudo regis est: iustitia, prudentia,
temperantia, laborumque patientia regem de-
monstrant, vt Herculem demonstrarunt leonis
na pellis & claua, quibus ornatus erat, antequâ
seruiret Omphalæ. Ex luxu erat quod Antonius
à se desisteret, quod tribunal relinqueret, et
sequeretur prætereuntem, quam amabat, Cleo-
patram, captus conuiujs & comessionibus,
quibus nomina indiderant τῶν ἐπιμαθησίων. Quæδο. καὶ τῶν
ἐπιμαθησίων: quasi dicas, congressum, cuius
sumptuositatē, et in delicijs apparatus, nemo faci-
lè assequatur, & cui immori vterq; constitisset.
Ex luxu erat, quod Attalus rex patiebatur naso se
à Philopœmene duci, quoties ire coenatū. Et luxu
erat, quod Lucullo vires ingenij ita defluerēt.

D. 2. ut se

ut se regendum traderet liberto suo Callistheni,
& potiretur philtro; antea cum non solum
temperans, & prudens, & legum scientia, &
omni liberali doctrina prestantissimus fuisset,
sed & liberorum hominum, nobiliumque viro-
rum multorum milliam dux, & regum victor
fortissimus. Si rem recta reputemus via, ex
luxu sunt, quæ mala arbitramur omina; nam si
utis Caspogorvris est erupio, ut tueatur prudentiam; animi
aciem nostram ubi obtudimus, an potest ut alio
quid boni consilij capiamus, ut proficimus, ut sa-
piamus, ut faciamus officium? Geometrae
ex ratione demonstrant, vno inconueniente
dato, sequi infinita alia; quod quamquam est
verissimum, quis tamen id sibi patiatur persua-
deri, qui rationem non audiat? Scintilla saepe
numero incendij causa est; latior ubi culpa
versatur, ubi opera nostra, industria, labor, stu-
dium & cogitatio feruent, ibi omnia ea quid
non subito procudant? Et suarum rerum
foedè profusus, nec iam abundans, & egestatis
insolens, is quomodo se contineat, ut in inui-
diæ, avaritiæ & rapinæ crimen non incurrat?
Tygranes quod delicatior esset, existimabat
non solum sua esse omnia illa, quæ populus suus
posside,

possidebat; in quo quidem rectè sensit; sed absque eo etiam omnia priuatorum bona ipse tenere cupidè desiderabat, prætereaq; sibi persuadebat, nihil omnium in toto orbe terrarum esse, quod non in solius sui gratiam extaret. Huius animi qui sunt, nec quidquam aliud cogitant aut meditantur, quàm vt solis sibi malacum & Saliarem in modum iucundè sit; pro salute & commodo suorum quid aliud quærant, quam calamitatem præsentissimam? illi autem cum fracti iacent, an stare potest, his qui stat suffultus? Epyrotarum rex, Pyrrhus, sapientiæ & humanitati suæ, rectiori que iudicio pulchre constitit; cui, deuictis Mœcedonibus cum à militibus applausus datus esset, & appellatus fuisset Aquilâ; modestè respondit, si is sum, quem dicitis, equidem est id vestro beneficio; nam illa vestra arma hæ ipsæ alæ sunt, quæ me subleuarunt. Illum quem dixi præclarum vitæ modum cum teneas, in omnibus tuis terris ipse Sol medius fidius clarius iâ lucere, ac muta Tellus tam illustri bono ridere videtur: Populus certe gaudio exultat, & nullus omnium est, qui te talem principem in oculis non ferat, qui te non colat, obseruet, veneretur, & diuinis affici-

at honoribus. Eiusque notæ optimæ ipse cum sit princeps, ridiculum sit, eadem non sibi polliceri de omnibus ei parentibus. Nam ut norma, qua architecti utuntur, non tantum soli sibi bene constat, sed utrumque præstat, cum ut ipsa recta sit, tum ut dirigat id, cui seruit: sic qui imperat, non id solum præstat, ipse ut omni virtute sit ornatus, sed & efficit, ut ad exemplum suum omnes se pulchrè fingant. Non coercitionibus hanc præclaram rationem tueris, neque poenis violentiæ introitum in optimum hunc morem facis, sed sola vitæ tuæ sanctitate: tritum enim verumque illud est. *Totus componitur orbis Regis ad exemplum, neque sic componere sensus Humanos edicta valent, quam vita regentis, & comprobatur illud omnis historia.* Romulus natura ferocior erat: itaque Romanis omnibus nihil tum magis volupe fuit, quam arma, & bella, & exemplum principis sequi. Ei qui successit, quod cum iustus esset, tum mitis, pacisque cultor, præeundo facile effecit, Roma ut longi quiete & otio frueretur, eaque gratia annos quadraginta tres ipsos templum Iani stetit clausum. Seria illa sunt: sed & in ridiculis ac næuis corporis principum stulte imitandis, videas

NON

non vnum atque alterum hominem, sed populum saepe omnem esse κακόζηλος. Galliarum rex Franciscus I. capite plagam acceperat, vt necesse haberet praescindere caesariem; populus statim se rasit. Alphonsus Arragoniae rex collo non vsque adeo bene rectus erat; qui ei quotidie à latere erant, aure humero plane erant innixi. Quid verbis opus est?

Ἐσθλῶν ἰδίῳ γὰρ ἀπὸ ἰσθλῶν μαθήσεις ἢ δὲ κακῶν
Συμμιχθῆς, ἀπολείς καὶ τὸν ἰσθλὸν νόον.

*(Namque bono à socio discas bona, sin malè rectus
Tecum habitet, perdes quod tili mentis erat.)*

Theognidis hoc oraculum, quotquot sumus omnes in nobis experimur, qui vel magistrat⁹ vel priuatorum consuetudine vtimur; quam ob causam non parum refert, huius illiusue notæ sit dux populi, sed refert quamplurimum; imo vnice confert ea res rei summæ, siue potius in se summam continet omnem. Ex ijs quæ secus in alijs principibus se habent, elucet Cels. nis tuæ grauitas, à qua non abest humanitas & mansuetudo, regiarum virtutum minimè postrema ornamenta. Etiam hæc, si quis forte quærat, fastigium summæ excellentiæ ita in te occuparunt, vt difficile sit censere quodnā ex illis virtute & præstantia sua vincat.

Eas

Easque dotes non solum toto animo possides,
sed sunt eæ in te tanta uertate, omni ore eas ut
diffundas, ipsis oculis ut promas, toto vultu ut
spargas, omni adeo corporis habitu ut ostendas,
nec cohibere possis, quin omnibus intuentibus
luceant, exemplo rarissimo. Ut plurimum
enim, ut liberiore mihi sine cuiusquam iniuria
esset liceat, ob celsitudinem status, contemptor
animus, commune lautiorum hominum malum,
etiam potentioribus inest: quod nisi molliatur
à doctrina & liberioribus amicis, facile radices
agit, & in subditorum erumpit perniciem. Hu-
iusmodi autem amicorum si uisiam, profecto
in plerisque regijs in ipsa abundantia quam ma-
xima est inopia: omnes enim meminerunt liber-
tate Solonem apud Croesum peccasse. Tu te-
cum & apud te plures sanctos amicos habes: in
ijs principe loco sunt generosi & illustres domi-
ni Dn. Comes A SCHLICK, & Dn. Baro
ADAMVS A POTEELITZ, Marchiæ Mare-
schallus hæreditarius: præter hos etiam habes
mag. cum & nobilissimum Dn. Cancellarium I O
ANNEM A LÖBEN, virum & industria & fide
præcellentem: ceteros nominatim non recen-
seo, quorum egregius est numerus. Quos au-

tem

tem honorificentissimè nominatos volui, non
illi ephori aut magistri tui sunt: quid enim ijs
tibi opus sit, perfecto vndique, & omni virtute
cumulato? attamen sunt illi cum imperio reip.
rectores. Idem illi siue de prauata siue de
publica re sententiam rogati, libente te libera-
tati suæ non desunt, freti innocentia sua & con-
scientia rectæ voluntatis: quam ob causam non
tibi odio sunt, quod veritas nonnunquam pare-
re solet, sed in carissimis; nec contemnis si quid
promant quod sit rectum. Neque enim, ho-
mines cum simus, in omnibus Promethei esse
possumus, vsquequa que vt sapiamus: etiam is
sapit, qui recta monentem libenter, & leni ani-
mo audit. Talem te esse, & esse vt oportet,
eius partem naturæ debes, partem bonarum
litterarum studijs, partem b.m. Thome Hubne-
ro, qui ex fide bona præter cetera ita in ijs te
iuuit, vt adulatorem ab amico discernere no-
ueris. Nam qui perpetuo nobis arrident, &
semper placere student, nec quidquam audent
contra gratiam loqui, non illi veri amici sunt:
amicus ille est, qui frontis est apertæ, qui rogan-
do, monendo, consulendo, & si vsus veniat,
obiurgando se liberè ad amicum profundit, nec

E

aliud

aliud promptum in lingua, aliud clausum in
pectore habet; sed omnibus non solum verbis,
sed syllabis etiam in se transfert hoc Achilles,

*Ἐχθρὸς γὰρ μοι κεῖ. ὅμοιος αἰδοῦσθαι πύλινον,
ὅς κ' ἴτερον ἢ κείνους ἐνὶ φρεσίν, ἀλλὰ δὲ ἰσχυρῶς.*

*(Ille mihi vel ad instar erit portarum Acherontis,
Qui praefert aliud verbis, quam pectore sentit.)*

In deterrimo hominum genere se fuisse, serò falsus est Dionysius tyrannus, qui amicos repudiavit; itaque regno expulsus, iamque Corinthi degens & ludimagistri fungens officio, cum ab Aristoxeno rogatus esset de controuersia, sibi cum Platone quæ fuisset, narrauit fuisse eam de prauis regibus, quorum conditionem ille sensisset esse infelicissimam, & statum eorum quam maximè lubricum, & omnis generis malis plenum; etiam hoc addidit, vnum omnium malorum hoc maximum esse, quod, quibus cum regibus multus & magnus est vsus, & apud eos in gratia sunt, & auctoritate valent, non audeant libere loqui, nec veritatem cum illis communicare: & horum opera & peccato factum fuisse, quod consuetudinem Platonis vitasset.

Idem ille Dionysius alterius cuiusdam petulantis hominis interrogationibus exercitus, quidnam sibi igitur profectum.

fectum esset doctrina Platonis? respondit; ea-
ne parum mihi profectum putas, cum videas
quam moderatè fortunam hanc feram? Serò
miser rex bonæ doctrinæ fructum sensit. Exqui-
sitissima ista nequitia Mardonius Xerxem de-
mulsit, barbarus barbarum, demens demen-
tem, timidus famulus fortuna exultantem he-
rum, uti diserte Maximus Tyrius refert. At a-
dulatio illa, ut quodque opus, tandem suum
merita est stipendium: insurrexit in bellum Asia,
vapulauit & catenas sensit mare, Hellepon-
tus ponte iunctus, mons Athos perfossus fuit:
tanti denique studij finis fuit; vinci & fuge-
re, & mors ipsius adulatoris. Nulli Mar-
donio, nulli Cleoni, nulli Hyperbolo apud
te locus est: deligis enim quos diligas, &
iudicium facis prius, quàm aliquo homine utar-
is: sic fit, ut facti te non pœniteat, & ut
ad te non accedant serperastris suffulti vafri ne-
quam: cognitam enim habent, monetæ suæ le-
uem virtutem; & intelligunt, nihil te probare,
quod lapis Lydius improbet. Is cum sis, etiam
phaleratis dictis parū fidei tribuis, nec nimis is-
credis, qui, dum placere studēt, verba verbis ac-
cumulant, & orationem orationi adstruunt,

nec dicendi finem inueniunt. Et si qui forte sint, qui huius aliquid ad te conentur, vel nutu eos refutas, haud patiens tibi illudi; hi si vnū omnium te inhumanissimum querantur, iudicium eorum rides, & humanitatem tuam bonis probare pergis. Non verebor Ser. me princeps, ne pudorem tuum offendam, si recensio- nem tuarum laudum continuaro; prolixus enim est virtutum tuarum catalogus, nec eum potiori sua parte rectè præsciderim; quæ continet prudentiam tuam; quæ omnium virtutum mater est & anima; & si vnquam; iam nunc demonstrat animi tui, siue potius omniū Christianæ reip. principum magnitudinem & fortitudinem heroicam; quæ profecto non ita perspicua fuissent; si instans tempus vacationem ab omni periculo polliceretur. Magna sane res est, ex qua vides, non otio sed negotio; non quieti, sed labori; non curandæ cuticulæ, sed rebus gerendis; non somno, sed vigilijs; non desidiæ, sed perpetuæ virtuti te esse natum. Vix in remp. ingressus fuisti, quando pleno modo omnis generis molestiæ se tibi exhibuerunt; vix eas industria & sapientia tua sustulisti, quando subita & improuisa formido omnium nostrū
mentes;

mentes inuasit: vix à maximis exantlatis laboribus respirasti, quando ad eosdem conuersa ratione tibi redeundum fuit. In illis, quos exegisti, se tibi acerba quidem dederunt quàm plurima, sed omnia ea in ipso negotio iucundum leniuit otium: in his, quos iam labores subis, non solum acerba omnia sunt, sed etiam videntur fore auctiora, & nisi nos DEVS respexerit, parum iucunditatis secum allatura. In Martem namque hoc canitur:

Ἄρης, ὄρεῖς, βροτόλοιγι, μισοφόνε, τετραχειπλήτα:
(*Pestis hominum es, sanguinis effusor, concussor moenium.*)

Quod pæne nobis exciderat oraculum,

Pax optima rerum,

*Quas homini nouisse datum est, pax una triumphis
Innumeris potior,*

Egregie hac tempestate vno ore omnes nobis in memoriam reuocamus. Verum enimvero quid faciamus? Non votis, neque supplicijs muliebribus auxilia Deorum parantur, vt Romanae historiae ethnicus scriptor pulchrè sensit: vigilando, agendo, bene consulendo prosperè omnia succedunt: ubi te somno atque ignauia dederis, nequidquam Deos implores: irati, infestiq; sunt.

E 3. Nos

Nos, qui cultum diuinū dictante sacra scriptura
correximus, cum illo in reliquo sentimus, nisi
quam rectissimi animi optima conscientia:
nam vt intelligimus nefas esse, nulla accepta in-
iuria quemquam laceffere, ita turpe esse arbi-
tratur, pati nobismet insultari, & officium viri
deserere. Istorum pudorem, quibus pax o-
dio est, iudicium candidi Achillis aperit;

Ἀφρήτως, ἀθέμιστος, ἀνέσιος ἐστὶν ἐκεῖνος.
Ὁς πολέμου ἐραστὴς ἐπιδημίου, ἰσχυροῦσί.

Id quod M. Tullius interpretādo his verbis illu-
strauit: *Nec priuatos focos, inquit, nec publicas leges
videtur, nec libertatis iura cara habere, quem discor-
dia, quem caedes ciuū, quem ciuile bellum delectat;
eumq; è numero hominum eijciendum, ex finibus
humanae naturae exterminandum puto.* Serui-
tutes sane patientia praescribi ll. nostrae ha-
bent: libertas quiduis potius patitur, quam im-
perium herile: eadem illa libertas non defugit
vel bello refutare, quidquid ostendatur machi-
nationum. Etiam antea bellicosissime gentes
ausae fuerunt Romani imperij statum labefa-
ctare; at suscepta causa, non ita, vt putarant,
licitum illis fuit latere tecto discedere.

Ger-
mano

manorum fortitudo omnibus historijs celebra-
ta fuit, illa ipsa necdum nobis erepta est, sit licet
vt eam diuini numinis benignitate ipso opere
diu non prompserimus, In proclui nobis est,
dictum factum Martis animum sumere, & eius
signa cum voluptate, cum apparatu, cum laude
sequi: & est, DEI gratia, vnde hæc continen-
tur omnia, Priuatim lacesiti viro bono
non negamus, sumpto telo, contra in arenam
descendere; & vel leuis causæ gratia: an re-
cusemus pristina virtute uti in tuendo honore
salutis reip? in conseruandis nostris aris & fo-
cis? in tegendis ijs, qui nobis ipsa vita sunt
cariores? Ades hostis, ades sodes; e-
tiamnum Germani germano & præsentis
sumus animo: etiamnum habemus vnde Salia-
rem in modum viatica te excipiamus cœna.
Non Peleus, non Laërtes, non Artemon aliquis
in Germanorum ferrea cute delitescit, qui tibi
obuiam procedere non audeat, qui hospitem
te salutare metuat. Etiam senes nostri ca-
pulares, ætate pæne confecti, & stipendia sua
etiam atque etiam emeriti, vltro & cum pro-
labio exurgere, ipsaniq̃ naturam vincere ni-
tantur, præclaro exemplo Nestoris, qui
expedit

expeditionem Troianam ne senecta quidem
ætate subterfugit. Iuuentus nec Romana,
nec Laconica vlllo vnquam tempore tam fuit
egregia, atque hodie est nostra. Viri num
valeant, ipsi te docebunt. De principibus
nostris quid tibi aliud spondeam, quam quod
historia commemorat de Milthiade, Pericle,
Alcibiade, Agesilao, Lyfandro, siue mari, siue
terra experiundum fuerit, ducibus solertissimis.
Aliud desacratissimo Imperatore nostro tibi
persuadeas, quam quod de anchora sacra? Ades,
si libet. Videbis totam Germaniam esse
quasi communem hereditatem plurium fra-
trum, vti Lycurgo agri videbantur Lacedæmo-
norum: Videbis vnanimem consensum in
erogando, in consultando, in agendo: Videbis
finitimas gentes auxilia non modo laturas, sed
obtrusuras etiam: Videbis quid arctissima illa
vincula coniunctionū, necessitudinū, affinita-
tum, confraternitatum, amicitiarum, in multis
regibus, in multis ciuitatibus possint: Videbis ea
omnia, siue potius magno tuo cum malo expe-
rieris. Non tibi verba do. Re ipsa in causam
descenditur. In qua ornanda, princeps Ele-
ctor Ioachime Friderice non possumus non sa-
tis

ris admirari industriam tuam. Etenim non
solum & fama & nuncijs ad nos in Megapolin
perlatum est, vt vigiles, vt de rei summa delibe-
res, vt te negotio accingas, vt rem vrgeas: sed
& disertè ad nos plurimorum amicorum litte-
ris perscriptum est, & in primis Francofurto à
Cl.^{mo} Caminæo. Vt vt res casura sit (nam
eueniat vt hostis pedem referat, & vt frustra me-
tuerimus) equidem facis tu prudentis naucleri
officium, qui mari tranquillo non animi ita se-
curè otiosus est, ad præsens solum vt respiciat,
nec consulat in longitudinem: sed dum tempus
ad eam rem datur, pro prudentia sua omnia ea-
parat, quæ rei seruiant, si forte eueniat, vt se ef-
fundat tempestas. Ad belli apparatus
quod attinet, idem facit Ill.^{mus} dux Brunsvicensis
HENRICVS IVLIVS, cuius ardorem, tem-
perantiam, & acre ingenium, incredibile est,
ad nos qua prædicatione in coelum sustulerit
humanissimus senex Caselius! Idem quod tu fa-
cis, omni studio exequitur patriæ meæ clementis-
simus princeps, dux Megapolitanus, VDALRI-
CVS, flos senum heroum Germaniæ, prouin-
ciarum Saxonix *iqog*. Quod mirandum est,
is princeps, quantumuis ætate ad summam sene-
ctam

etiam producta, perpetuò sibi est similis, nihil
laboris declinat, non queritur, sed vegetus cum
animo, tum corpore, fidei suæ commissam pub-
licæ salutis procuracionem non minori studio
tuetur, quam tutelam sui ipsius populi. Idem
ille optimus princeps in negotijs conficiendis
non legato utitur, id si vilo modo valetudo &
rationes suæ patiuntur; non alijs mandat, sua
quod præstare potest opera; ipse præsens est, rem
urget, iuuat, conficit, magni I. Cæsaris prolixo
exemplo. Præterò reliquorum electorum,
principum, comitum, baronum, ciuitatum re-
censionem; omnes, vt vno verbo omnia com-
plectar, idem, vt fama est, quod tu in auertendo
malo facis, efficiunt. Ad hunc modum rebus
nostris constitutis, age obducatur nobis hostis,
armati armatis obstant; si est, virtute vtrinque
vt simus pares, hîc certe proeliante pro nobis
Christo, adeoq; necessitate nos erimus superio-
res; si est, vt ab hac parte nonnulli cadant, ab illa
profecto parte haud salui euadent omnes; si est,
vt ærarium nostrum exhauriatur, istorum certe
sacculus erogando minimè turgebit. Hoc
Dei Opt. Max. gratia præcipuum nos habe-
mus, vt ea, quæ ad victum pertinent, deesse no-
bis

bis non possint; ea est agrorum nostrorum bonitas,
etiam in amictu non habem, quod queramus, nisi
si delicatiores nonnulli existimemus sine serico,
et purpura, et gemmis, viui non posse; Potissimis
instructi, quid magnopere desideremus minime
necessaria? Illi ipsi qui petulanti animo id
vnicè operam dant, ut damnum nobis dent,
non dubitandum est, quin ea opera nobis maius
sint daturi beneficium, quam id erit, quod de-
portaturi sunt commodum; etenim alium qui
exercet, peraeque & ipse exercetur, aut magis
etiam, minimeque à communi arumna est liber.
Sed quid feci? Hostem appellavi, cuius exercitus
imperij Romani fines inuasit; at rectius eum
nominarimus amicum. Nam quorum be-
neficio suauius animo afficimur, & in quorum
benevolentia omnibus corporis partibus iu-
cundè acquiescimus, non illi soli sancto amici
nomine digni sunt; etiam amicus is est, qui ex-
secat, qui obiurgat, & dolorem dat nonnunquam.
Magistratus profecto Atheniensis praecclare hanc
partem intellexit, quando Agelilaum ^{isegni} Cuius ci-
uitate expulit. Hic populum ita sibi deuinxerat,
ut omnium voluntates et animos in sua potesta-
te haberet, & ad libitum pro re nata fingeret.

Etiam Atheniensium duces, socijs prouincijs
displicendo profuere: Cimon obfuit obse-
quendo. Nam cum inito foedere consen-
sissent classe suppetias ferre; statim atq; hostem
à suis terris fugassent, rationem ipso milite mit-
tendo continuare noluerunt, malueruntq; pen-
dere argentum; in quo ipsis Cimon astuté
assensit; gratulans sibi fortunam, quam lon-
gissimo interuallo prospiciebat. Itaque cum
non posset ex socijs, militē ex populo Athenien-
si legit; hunc in ^{ἀφειρία} & triremes induxit, ad la-
bores assuefecit, exercuit, fortesq; bellatores red-
didit. Contra qui stipendiū mittebant, omnes
eos domi exercebāt negotiatio, agricultura, res
familiaris, & deliciae; stultē non intelligētes sum-
ptum abs se fieri in eam aliorum disciplinam,
sibi otiosis quæ aliquando esset fraudi. Nam
otio, delicijs & commodis domesticis corru-
pti facile ab Atheniensibus postea fracti fuere,
& in turpem seruitutem redacti. Reliqui
duces communis belli oblatam pecuniam repu-
diarunt, militem imperarunt, ad mittendam
coëgerunt, ipsorum ingratijs libertatem ipsis
seruarunt. Animi enim corporisque vigor,
vt eodem perpetuo statu perstet, haud existi-
man.

mandum est. Torperescimus nihil agendo,
nimiumque otium, & prolixiores æquo res se-
cundæ nocent; & id omne quod sua uiter nos
afficit, voluptatis appellatione omnino non ve-
nit. Ex virtute vera voluptas est, quæ *περὶ δόξῃ*
habet sudorem, quo Epicharmus Deos homini-
bus, omnia bona vendere aiebat. Illo eodem
pretio olim suis ciuibus Romani vendebant ho-
nores: ad quos qui aspirare cupiebat, ultrò id
tempestiuè subibat, ad quod ceteroquin ne-
cessario tempore compellebatur. Nam se-
ptimo decimo anno expleto constat nemini va-
cationem à militia fuisse indultam, nec eam ve-
niam cuiquam contigisse ante ætatis annum
quingagesimum quintum ipsum. Tum
etiam hoc constat, nemini Romanorum licitum
fuisse prenare, nisi emerita fuisset stipendia de-
cem annos ipsos. Et hunc eundem, ita qui
se exercuerat, vidisses virum fortem, prudens-
tem senatorem, rectum prætorem, præstantem
oratorem, bonum agricolam, probumq; ciuem;
quibus omnibus ornamentis præter ceteros
Cato hic Censorius fuit insignis. Immo
bona corporis habitudine qui est, ferreum
thoracem ut ferre possit, haud illum plurimum
bona

rium bonarum artium præclara & multiplex sci-
entia dedecet. Quamplurima latissimus ani-
mi campus bona capit, nec congestis obruitur,
at mutuâ operâ præclarum in modum perfici-
tur. Sed quo oratione labor? Ignauiane
nos insimularim, longioris quietis gratia? absit
vt hoc nomen usurparimus in viros fortes; quos
tamen si beneuolè moneas, ex alieno malo, alie-
orumque bono exemplo temporì suum fingere
commodum, censeo, non peccaris. Proinde ab
illa reprehensione liberis illud suum ad Samios
epistolum, *Λιβυλαί ὑμῶν ὀλίγοι, αἱ ὑπογείαι βραδείαι, ἢ τοῦτο
τίλθ' ἐνεῖται;* (*Consilia vestra sunt vana; auxilia lenta;
hæc quis euentus sequi soleat, ipsi intelligitis*) neq;
M. Brutus occinat. Omnino nostræ genti nec
istius nec alterius generis vllis aculeatis dictis
opus est; prius enim opus est consulto; ex quo
est, vt ex ratione rem sæpe protrahamus. Vir
grauissimus, dictator Fabius Maximus ni fuis-
set cunctatus, nunquam Ennius de eo cecinisset;
Unus homo nobis cunctando restituit rem: tanta
erat hostis potentia; at cuius? Hannibalis.
Ex re & negotio videre est, haud ingenio nos esse
cunctatores; ex re videre est nostra animi fortis-
tudo.

rudo ex consilijs, prudētia; ex re videre est, minime nos esse barbaros, domi qui alto spiritu nobilitatē iactant, foris frigent; ex re videre est, minime nos belluarū instar de ditis esse ventri, sed vigilijs & præclararum rerum studio; ex re videre est animi nostri libertas, qua contra stare audeamus, siue potius gestimus, etiamsi sit occumbendum. Nam cum M. Tullio eiusdem sententiæ sumus; *mortem quæ natura debetur, pro patria potissimum redendam esse, pro qua nullus vir fortis recusavit mori; ne, si pro illa cadere nolit, cum illa cadere necesse sit.* Et Iustinianus noster inquit, *hi qui pro rep. ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur.* Quod si ita est, ut omnino est, quis tam ignavus sit, scædam vitæ præponere ut velit immortalitati? Iamdiu equidem nullum facinus ciuile illustrius visum fuit; sic vndique ab omnibus certatim ad arma curritur. Multos profecto fortes viros dies & periculum aperiet, ostendet, prouerbet, heroas declarabit; antea sibi ipsis non notos, & magna cum iniuria hætenus pro terræ filijs habitos. Quid aliud *Ciro, Romulo, Theseo, sexcentisque alijs immortalitatem nominis peperit, quam oblata fortuna,*
quæ

quæ eis occasionem præstitit virtutis suæ de-
monstrandæ? his ipsis visum fuit non amittere
tempus, cum esset datum. Plurimi erunt
quibus negotium otio longe erit dulcius; quibus
acerbum accidet latitando sic fœde domi con-
senuisse. Nam quod quotidie vulgus in ore
habet, inexpertis bellum esse dulce, expertos me-
tuere, id in vniuersum ita se non habet. Tes-
tantur id omnes veterani milites, qui ætate pæ-
ne exacta nihil magis optant, quam pristinas
excurrendi vires & occasiones. Etiam neque
hoc verum est, vt semper arcum tendat Apollo,
& sine intermissione continua vt commitantur
proelia, perpetuæue fiant strages: Immo res-
piratur profecto potissimam partem; statis
diebus sacra fiunt; nonnunquam celebrantur
epulæ; exercetur alea; neque patitur Dionysus
fortes viros sitiendo frangi. Si vero est vt
vicissim aliquando confligatur, ————— *hora*
Momento aut cita mors venit, aut victoria lata.
Minerua, non humi, sed ex ipso Iouis cere-
bro nata Dea, maiori fide est, quæ apud poë-
tam inquiens,

Ἦναι θεὸς κ' ἐθέλων, καὶ τηλόθεν ἄνδρα σῶσαι,

(Iuppiter absentem longè seruare potens est,)

Telemacho

Telemacho minime fuit mentita, cui parens
Vlyſſes expugnatione Troiana peracta redi-
bat. Si vſpiam recte vſurpatum fuit, tan-
tummodo incepto opus eſſe, profecto in ſuſce-
pta honeſta & pia cauſſa idem quàm rectiſſime
vſurparimus: ſecundaque Dei voluntate re feli-
citer geſta, quot cunq; focis ſuis erunt reſtituti,
omnes hi & ſeipſos, & incolumitatem, & ſtatum
ſuum, magis magiſque amabunt: vnicuique
vero etiam tum ſui liberi, parentes, cognati,
longe erunt carioreſ, quàm fuere vnquam: o-
mnibus amicitia, conſuetudines, familiaritates,
plus voluptatis afferent, quam non attulerunt
ante: nemini non res ſua familiaris, fortuna,
locus, ordo, dignitas, honor, præteriti temporis
recordatione videbuntur ſplendidiora: nec
quiſquam erit, ſua cui non patria, agri, fruges,
templaque multo ampliora videbuntur, quàm
ea vllò vnquam viſa fuerunt tempore: ipſa de-
nique maietas & ſalus ſui magiſtratus vnum
quemque tanta lætitiæ voluptate perfundet,
quantam vnuiuscuſque quàm maxima mere-
tur pietas. Nam illo ipſo tempore, cum, quod
nos iuuat, bono aliquo fruimur, non tam eius
iucunditatem & vim experimur; quam cum eo
G
caremus

caremus, longeque magis delectant desiderata
& modicè sumpta, quam pleno modio ad sati-
etatem assiduè prompta. Eccum vero, quod
pro ratione temporis mirere, militem Marchiæ;
omnem illa apparatus mentem addidit; dele-
ctum ob omni parte absoluit; equitatus certè
eiusmodi egregia ratione est, vt fremat cupidi-
tate excundi. Haud existimarem olim Romæ in
Circo Maximo heroibus maiorem animi ar-
dorem attulisse carceres, à quibus tendebatur
ad metam. Verum quid illud ipsum est, quod
nobilitatis desiderium ita incredibili modo, præ-
claroque more, acuit? Aliud certe nihil,
quàm solus erga regem amor; qui idem facit vt
cum iactura vitæ pro salute principis nihil recu-
semus, immo si opus sit, vltro oppetamus mor-
tem. Tantæ amoris efficaciam esse, maio-
rum nostrorum tempore in C. Gracho satis te-
statum fecere bini amici, qui bello ciuili ad pon-
tem ligneum fugati, cum vidissent ducem suum
aliter seruari non posse, forti animo pedem re-
tulerunt, & resistendo se maluerunt conscindi,
quàm eum lædi, quo vsi fuissent ductore. Etiam
contra Vitellium cum de imperio certaret
Otho, ipse ipsis suis oculis vidit ipsa re exprom-
ptum.

ptum erga se amorem: etenim proelio deu-
ctum ducem cum milites saluum & fortis ani-
mi esse vellent, adeoq; ne animum desponde-
ret, omnium precibus ab eo contenderetur; pla-
ne ne quidquam dubitaret de ceterorum mili-
tum fide, vno eorum stricto ense prodijt, dicens:
hoc tibi persuadeto Cæsar, omnes sodales meos
eius animi mecum esse, vt vitam suam libenter
pro te profundant; dictumq; factum se perfodit.
Quid multorum sæculorum auctoritatem ad-
ducimus? vel patrum nostrorum memoria, ipsa-
que nostra ætate nõ defuerunt paris virtutis viri;
nec hodie desunt. Amor certe necessario nostro
tẽpore officio suo nunquã deest, princeps modo
is sit, vt oporteat. Tu quis sis Ser. me Elector, an-
tea si parum te nouisti, res & populi voluntas, te-
stes prolixi, iam nunc te docent: & ni populus
iam pridẽ quoq; te nosset, eidem ni iam inde ab
adolescẽtia te beneficentia, fide, virtute, & cle-
mentia probares, nunquam illius tantum in te
extaret studium seruandæ reip. Verum est
enim illud,

Non sic ex cubia, non ei circumstantia pila,

Quam tutatur amor: non extorquebis amari:

Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.

Omnino existimā neminem omnium esse, qui
hac tempestate non ruminetur omnes vitæ tuæ
actiones; existima neminem esse qui non altius
in eas inuestiget, easque ad amūssim rationis
examinet. In omnibus quæ pro te faciunt,
potissimum hoc est; Virtuti abs te habitum
fuisse honorem, & in dignos dignitates te con-
tulisse, ignauum pecus non ornasse. Lentè
enim ad arduum virtutis iter proceditur, prau-
cum præripiunt, quod bonos capere par erat.
Et qui scopum virtutis non magis viderunt,
quàm curarunt, fauitoribus confisi, ij si proe-
mium auferunt, ad quid currendo colliment
Crouduois; quid feriant? quid? rem magnam sane:
vacuum aëra; neque hoc nihil est; potissimum
enim bonum est, quo vitam fouemus; atque
adeo fabulæ confirmant animalium nonnulla
solo aëre viuere. Nunquam res Romana ita
prolixa ratione fuisset, nunquam habuisset tot
præstantiū, ducum oratorum, omnisq; generis
excellentium virorum copiam, ni vnicuiq; pro
sua virtute, & pro suis rebus gestis amplissimis
datus fuisset applausus & honos; nec opinor
senatum aliam ob caussam victoribus vel sup-
plicationes vel triumphos decreuisse, quàm vt
propalam.

propalam illorum exemplo adolescentiores in-
citarentur ad præclarorum facinorum parem
in dultriam & amorem. Vnicuique suum no-
uisse tribuere, hoc demum imperare est; hoc re-
gium est, & imperij grauis & stabilis; id qui
nesciat, ingenuo morecum Minutio fateatur,
imperatoris nomine se non esse dignum, sed ex
præcepto Hesiodi præstantioris imperium de-
bere pati. Non falsus fuit Bias quando affir-
mauit, imperium demonstrare virum. Etenim
quamquam multa sunt, quæ ingenium nostrum
eliciant, nihil tamen omnium est, ipsum homi-
nem qualibet sua parte quod magis aperiat,
atque imperandi libertas, quæ etiam intimam
vniuscuiusq; ^{subditur} promit, & cuius notæ ea sit,
omnium oculis exponit. Quocirca, si, vt

illo Persij vtar,
*Compositum ius, fasq; animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generosum pectus honesto,*
hæc, inquam, si dux populi habet; neque He-
sperus neque Lucifer splendore suo magis est
admirabilis: At si pro ijs magistratui adsunt
ignorantia eius quod deceat, iniustitia, mala-
mens, & nihil sanum, etiam ipso meridie nihil in-
eo est illustre, omniaque vndique magno rerum

bonarū cum dispendio pereunt, vt in malè comā
pacto vase muria. Egregie sane Demetri, cogno-
mento Poliorcetes laxitatem hīc suam ostendit;
qui cum Atheniensibus 250. talenta durissimo
illorū tempore benè stricto interuallo imperas-
set, eaque vno cumulo allata vidisset, omnia La-
mīe suae, certis que mulieribus, dari iussit, vt serui-
rēt emptioni smegmatis. Antoni, idē in Asia fecit;
vbi homines nobiles, aliosq; bonae existimationis
viros possessionibus priua uit, et hominib. nequā
tradidit; hi saepe numero non erubescabant dono
postulare etiā eorum bona, qui etiamnum uiue-
rent, quasi illi boni viri in uiuis esse desissent, nec
amplius extarent. Vt hoc addam, domū honesti
cuiusdam ciuis Magnesiatis coquo donauit, pro-
pterea quod coenam parasset ex sententia; vecti-
galib. porro peccatū siue auxit, siue correxit, eaq;
modio non solum indixit pleno, sed et duplo.
Non defunt sexcenti alij, qui ad hunc scopulum
naufragium fecere; tamen illorum omnium ne v-
nus quidem fuit, qui culpā suam agno uerit, fuerit
licet ea ita magna & manifesta, omnino occuli
vt nō potuerit. Non à frugalitate nedum ab aua-
ritia, reges commendantur, negotialibus verbis.
Magnificum, magnanimum, largum esse, hac re
mod gum

gum sunt propria; verum illa nomina laudabile
men. em suam nō ex largitione accipiunt, sed ex
recto largitoris iudicio. Omnino hoc quidē verū
est, Magistratum monstrare virum: verum omnis
generis rerum, munera vt per se ipsa proluxa sint
omnino non ita est: aliquod ex illis qui suscipere
hauer, & cupit sibi ab eo egregiē addi, parum ille
splendoris consequatur, nisi prius virtute sua illu
stra uerit id, cui⁹ beneficio sibi profectū velit. Ve
stem quantumuis pilosam mortuo induas, nō ea
exprimas calorem; à nobis ipsis incipiunt omnia
ea, quę extrinsecus ornamentis iuuantur: id quod
Cato Uticensis, designat⁹ quæstor, pulchre demon
strauit, cum virtute sua quæsturam supra senatum
ita extolleret, vulgò vt existimaretur, dignitatem
senatus Catonem quæsturæ addidisse. Demon
strauit idem Epaminondas; quem cum homines
maleuoli per inuidiā nomina ssent, vt præflet ve
ctigalib; decretā sibi Spartam non repudiauit, sed
æquo animo suscepit, inquit, non minus à viro
demonstrari magistratū, atq; magistratū demon
straret virum; et perquam vile istud munus, et ab
omnib. contemptui habitum, virtute sua ita or
nauit, vt honore esset amplissimo. Quo prope
modum dicendi finē faciam, saltem ex sententia
Platonis

Platonis id addam, tum demum resp. laboribus
& miserijs suis defungi, quando diuino be-
neficio summa potentia cum sapientia &
iustitia se simul coniunxere: quod si verum est,
marchiæ iam nunc ^{καταρτιω} ortum est? Præ-
ter potentiã enim quã habet, na cta est eum prin-
cipẽ, in quo nõ illæ solæ virtutes sunt, sed in quo
omnium virtutum, quæ in hominem cadere
possint, exactissima est congeries: quæ præ-
clara ratio, quo correctiorẽ reddit rationem re-
gionis et populi, hoc difficiliorẽ efficit conditio-
nẽ principis; difficilior enim est spectatæ magne
virtutis modus, quã est ille, qui est incognit, aut
mediocris: & laboriosam regũ rationem Seleu-
cus minimè dissimula uit; sæpius enim dixit, si ho-
minib. cognitũ esset quantũ negotium esset, vel
in accipiendis et mittendis regũ litteris, sibi cer-
to persuasum esse, neminem omnium fore, cui
animus esset regium diadema humo tollere, si
forte inter eundum in aliquod incideret. Et-
iam questus est durum regum statum Macedo-
num rex Philippus, qui cum opportunum militib.
locum ad metanda castra vidisset, & intellexis-
set de inopia pabuli: suspirando exclamauit, O
Hercules, quæ igitur est nostra vita, posteaquam
eius

eius ratio nobis vsque eo extendenda est, vt etiam curam suscipiamus de nostris mulis? Ad Agamemnonem poetâ recte loquentem facit Nestorem,

Ὁ καὶ πάντοτε τοῦδε βασιλέως ἄνδρα:

(*Non decet vt noctem consultor stertat in omnem.*)

Quod si consiliariû tam vigili animo esse oportet, quanto id in regib. vsurparim? prolixus? quâ multæ ab ijs noctes ducuntur insomnes! quæ ab ijs cœna, quod prandium sumitur, quod varijs laborum & molestiarum condimentis non sic sparsum! ecquod tempus est, quod vacationem à cogitationem mole afferat, negotia tollat! Penus deficit? ad regem curritur: ærarium decrescit? res ad regem defertur: populus queritur? ad regem festinatur: rixantur subditi? causa ad regem deuoluitur: suscipiendum est bellum? omnis in regem cura transfertur: plaga accepta est? mali medicina à rege poscitur. Et non

solum nunquam ab hac ærumna reges sunt liberi, sed nec sibi illam horam, nedum diem, polliceri possunt, quo iucundo libertatis verbo vel semel vtantur. Qui purpura lautè induti imperant, vulgò videntur equidem illi lautissimi esse domini; at reuera non tam imperio sibi ipsis

H

malacum

malacum in modum proficiant, quam seruiunt
populo. Magno tamen id illi faciunt animo, &
facit idem etiam DEVS, cuius industria non
languescit, cuiusque personam in terris reges re-
presentant; quem eos imitari conuenit, qui
sperant, quæ sublati laboribus, perpe-
tuam voluptatem gloriamque æternam habet
comites. Hæ ille sunt quæ Diomedis apud Ho-
merum addiderunt animo, cum diceret,

Τούτω μὲν γὰρ κῆδος ἄν' ἴψ' ἔσται.

(Huic equidem comes erit gloria)

Vnamquamque autem actionem parem gloriam
sequi, haud sapientis est existimare; facinus prae-
clarum et magnū sit oportet, quod immortalita-
tē nominis pariat; nam laureolam in mustaceo
quærere, perquam est facile. Ex illo est, ut, ubi
populus cogitationum suarum terminum figit,
ibi princeps continuet, siue potius incipiat; al-
tiori enim loco stat & officij sui esse intelligit,
prospicere in longitudinem nec somnum & o-
tium sectari. Accedit quod non in otio sed in
negotio virtus consistat, id quod sapienter ab
Ælea Scythiæ rege frequenti oratione fuit con-
firmatum, videri sibi otiano nihil se differ-
re ab aliquo suorum stabulariorum. Et

cuius

reus magni qui animi & voluntatis est, ut
spe gloriæ in magna se dimittat, frustra ille
sibi altam polliceatur requiem, & iucundam
malaciam. Magna cæli, ventorum, plu-
uiarum, inundationumque iniuria Alexan-
der Magnus afficiebatur, cum exclamaret,
*Nunquid etiam creditis Athenienses nihil non la-
boris & periculi me & subire & perpeti, solius lau-
dis gratia, quam à vobis expecto?* Ad Marchi-
cos ut dictum transferam, vos nunquid etiam
creditis, nihil non laborum curarumque princi-
pem vestrum & suscipere et sustinere, non tam
sux laudis, quam vestræ salutis gratia? Equi-
dem Ser. me Princeps, quotquot tibi parent, o-
mnes illi ex ipso negotio credunt, neminem ho-
minum te magis esse exercitum; maximaq; &
incredibilia tua in se collata beneficia non
solum agnoscunt, verum etiam eâ gratia in te
pietate sunt, qua maiori nullus totius terrarum
orbis populus inueniatur. Non temerè id lo-
quor; : transiens autumno per Cels, tuæ
terras, vbi ciuitates præstabant homagium,
ipse meis oculis vidi, auribusque meis per-
cepi, ut erga te affecta esset cum populo
vniuerso cuncta nobilitas. Nihil medi-
us

fidius omniū in ore aliud quā gratulari, quā
pia vota facere, quā benè dicere; vno profecto
orè his verbis omnes; HIC NOSTER IL-
LE EST DOMINVS; HIC ILLE
IPSE, A QVO, QVOTQVOT SVMVS,
OMNIVM NOSTRVM DEPENDET
SALVS; HIC PATRIÆ NO-
STRÆ EST PATER; HIC EST
ILLE, CUI OMNES DEMVS O-
MNIA: REGAT, VIVAT, FLO-
REAT, VALEAT, NOVVS PRIN-
CEPS, PERPETVO SVO, LIBERO-
RVM, POPVLI ET MARCHIÆ
CVM BONO. Non mentior, ex viris
nonnullos vidi, qui gaudij vbertate idem etiam
atq; etiā repeterent cum lachrymis. Quis putet
in his parū esse? plus sane ponderis in huiusmo-
di verborum honore esse C. hic Martius existi-
mauit, quam in omnibus muneribus, quæ sibi
plenissima manu offerrentur: ille autē si vilis
sordidiq; animi fuisset homo, nunquā æterno hoc
Coriolani cognomine hodie esset clarus. Etiam
Scipionum fratrum memoria non extinta est:
quorum alter se Africanum, alter Asiaticum in
multa sæcula appellari, quam fluxis sexcentis
alijs.

alijs affici maluit. Epimenidi sapientum Græcorum septimo Athenienses multa munera con-
gesserant; omnia vir sanctus repudiavit, postu-
lato solo ramo oliuæ. Etiam solo honore oliuæ,
sibi ab Lacedæmoniensibus, deuictio Xerxe, ob-
lato, acquieuit Themistocles. Demetrio etiam
num viuenti erectæ fuerunt trecentæ statuæ ipse;
nulla earum vestutate interijt, sed ante obi-
tum eius ad vnum omnes fuerunt fractæ. De-
madi quoque plures statuæ fuerunt consecratæ;
etiam harum nulla perpetuò stetit, sed omnes
fusæ seruiert nescio cuius generis vasibus.
Catonem legimus omnino noluisse vllam sibi
fieri statuam: sed dixisse, malle se, vt homines
rogarent, qua de causa sibi statua nulla esset de-
creta, quam vt inquireretur ob quam causam
aliqua extaret. Italiam qui videmus, egregiam
statuarum passim intuemur copiam; de pau-
cissimis docemur, quorum honori eæ seruiert:
& sit, vt non tam temporis longinquitas non
nullis detraxerit, quàm solius virtutis conserua-
trix veritas; nam verus honor perpetuò sibi
constat, neque eueri potest vel ab ipso Momo;
quis enim id euerat, quod corruptioni non est
obnoxium, et quod à sancta perpetuaque laude

feruatur? Tot tibi Ser.^{me} Elector statuas po-
titas esse puta, quot fidos amicos, quot bonos
subditos habes, numero incredibili; puta huius-
modi statuas & veras esse, & illustres, & æ-
ternas: } puta viuo tibi qui honor quotidie
datur, eum pro centum millibus statuis esse:
puta eum honorem perpetuò sibi similem
fore: eundem puta comitaturum etiam fu-
nera tua, duraturumque vsque dum durabit
Marchia, totusque orbis. Hoc enim omni
virtute tua mereris; atque adeo efficis, vt post
annos sexcentos etiam historia de te honorifi-
centissimè loquatur, posteri que hocce Tele-
machi frequenti in ore habeant,

Τοιοῦτον βασιλεὺς, πατρὸς δ' αὖς ἠπίου ἦεν.

*(Rex horum ille quidem, sed erat patris optimi ad
instar.)*

Plane id fututū esse, haud dubiū est. Quid enim
non Bactri fecere in rege suo Menandro? qui
cum in bello occubuisset, ciuitates, quæ sub eo
fuerant, communi quidem consilio sumptum
in funus fecerunt: Verum cadauere, vt moris
antiquis fuit, combusto, cum instituta esset de-
liberatio, quo potissimum loco reseruarentur
cineres; hîc verò quā maxima nata est contro-
uersia: Tandem tamen post longas contentio-

nes

ms non sine magno negotio vtraq; ciuitas con-
sensit, & constituit, vt æqua parte cineres ciuitati
vtriq; cederent, & vtriq; singillatim licitū esset
defuncto regi exstruere monumentū, eius quod
seruiret immortalitati. Et quid non longissimo
interuallo post, quam veneno ab Atheniensibus
extinctus esset, sanctissimo viro Phocioni conti-
git, æquidē verissimū in eo hoc lyrici poëtę fuisse,
Virtutem incolumem odimus,

Sublatam ex oculis quærimus inuidi,

honorificentissimum funus & statua pulchrè
demonstrarunt. Nam vt memoria re-
gum extingatur, postquam in viuis esse
desierunt, id reipub. siue correctio, siue im-
pressa vulnera omnino non sinunt: interest
tamen vt illius potius, quam horum vestigia
extent, quæ demortuum quasi sistant, & ad
vitam reuocent.

Persæ equidem, vt pa-
ri laude omnes suos reges prosequerentur,
animi eorum libertas haud fuit passa: eademq;
hac parte Galliæ populus Persas etiamnum
præclare imitatur, quando defunctos suos reges
eo cognomento dignatur, vniuscuiusq; quod
meretur virtus. Hinc est, quod illi Cyrum appe-
larint regem; Darium, negotiatorē; alios aliter,
Regis

Regis autem vocabulo quoties vsurpes, nihil aliud demonstras, quàm lenem & beneficum patriæ patrem: itaque pro benevolentia odium, pro mansuetudine asperitatem, pro beneficentia omnia qui mala venditat, an sit, vt rex appellari possit? Horatij hoc est,

----- *Pueri ludentes, Rex eris, aiunt,*

Si rectè facies,

In te Ser.^{me} Elector, ego commune illud omnibus probis imperatoribus augustum nomen vsurpavi, & vsurpant, qui eius nominis vim intelligunt, quotquot te nouerunt: nec ea re auribus hominum quidquam datur, sed quæ tibi dantur, liquidæ ea omnia dantur veritati. Eoq; ipso licet te ad omnes rectè iactare possis; tamè eius cum multis magnis heroibus modestiæ es, vt vel ex merito datum recuses, & qui tibi multiplicium præclararum virtutum splendor adest, eum potius à diuino numine profectum dicas, Deoque Opt. Max. acceptum referas, quidquid boni imperio tuo præstas. Nam à nobismetipsis rerum benè gerendarum initium proficisci, idemque sola nostra industria ad felicem exitum perduci, id vel hominibus Ethnicis religio fuit affirmare.

Σὺν τῷ θεῷ ἐξαρχία, vetus illud

illud potissimum à nobis ad DEVM transfe-
rendum est, eiusq; optimum & facile auxilium.
Timoleon certè quod Siciliam seruitute libera-
set, in sua ad Siracusanos concione, ipsum se
minime venditavit, sed DEO gratias egit, cui
libitum fuisset ipsius opera vti, & partam ex
victoria gloriam in ipsum transferre. Etiam
Hannibal hìc modesti hominis animum sumo
psit: qui in Italia furens, & Cos. Marcellum ex
insidijs prosternens, facto ei postea honorificen-
tissimo funere, cum ossa & cineres in argentea
capsula, cui ex auro corona superimposita erat,
ad filium misisset, & legati tantam vim à
Numidis pasci essent, omnia ossa vt pedibus
traherentur, et cineres perirent, idq; ad eum pau-
lo post esset relatum; *Videte, inquit, quàm non
sit in nostra potestate, quidquam effectum dare
absque secunda maximi DEI voluntate.* Omni
commiseratione digni illi homines hìc si sapue-
runt; nos, quibus sacrarum litterarum diuina
monumenta plenissimis manibus versare con-
tigit, quæ non pietas erga DEUM deceat? quas
non gratias vni omnium, quibus fruimur, bo-
norum benignissimo auctori agere conueniat?
Sane ex hoc fonte ipso felicitatis suæ sumo
mam

mam deriuari, Romani imperij & orthodoxæ
religionis, quotquot enumerantur principes, præ-
clare profitentur, cum pro debita pietate DEI
GRATIAM in omni scripto proæmium faciunt,
eandemq; omnium suarum actionū post indu-
striam suam basin ponunt. Etenim apud quem
continuo opere nihil magis exercitum est, atque
salutis nostræ procuratio; eundem velle, nostra
opera vt frigeat, & vt officium deseramus, o-
mnino existimandum non est. Cui enim bono et
ingenij, & rationis, et corporis proluxa ratio no-
stra, si, qui nihil frustra extare voluit, præclaris
actionibus vires nostras intentas esse nollet?
Hoc demum viuere est, hoc anima frui, hoc ce-
teris animalibus præstare, hoc Deo & bonis
placere; omni nostra cogitatione, opte, cura,
labore, studio, & industria foris & domi pro-
desse, eaque re memoriam nostri in multa sæ-
cula extendere. Omnia hæc Ser.^{me} Elector
IOACHIME FRIDERICE, ipse tu
præclare intelligis, vt necesse non sit abs
Cels. tua pro ^{ordinis} acceptum iri, quæ attuli;
immo quæcunque ea sunt, quæ attuli, ijs omni-
bus quòd argumentum præbuit illustris virtus
tua, existimabis nõ tam tibi dicta esse, quàm tui
ordi

ordinis principibus viris, quibus voluptati est,
vestigis tuis insistere, & exemplum tuum sequi.
Quod quò prolixius ijs publico cum bono liceat,
DEI Opt. Max. benignitate
Cels. tuam quam diutissimè
viuere, etiam atq; etiam
precamur omnes.



Oratio pro reipublica
venerabilis patris & cardinalis
Guodono prolixius et publice cum bono
suo, et in Opt. Max. benignitate
Ceterum cum dicitur
et iure etiam ad eam
pertinet omnia.

